



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. Primum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

essent, videlicet signo, vel alio indicio; non verò scripto, vel voce testatoris, quod in testamento requiritur ex constitutione d. l. 29. Quo fit, quòd horum portiones accrescant aliis legitimè institutis, l. un. § *Huic defunctis* 10 C. De caducis toll. Ubi tamen observa, quòd dixi de signo, si ve alio indicio, id verum esse, nisi illud signum, si ve indicium sit indubitabile. Si quis, inquit Ulpianus in l. Quoties 9. § 8 D. De hered. instit. nomen heredis quidem non dixerit, sed indubitabili signo cum demonstraverit, quòd pœne nihil à nomine distet, valet institutio. Ant. Gomez *Var. resolut.* tomo 1 cap. 2. num. 6. & 7.

Quoad tertiam partem descriptionis intestati, aut id, quòd fecerat, testamentum, ruptum, irritum, vel factum est: intellige per adrogationem filii, item per posthumi natiuitatem, vel per similem modum, sicuti latius videre est sub tit. *Instit. Quib. modis testam. infirm.* item per inofficiosi querelam, quâ testamentum irritatur, si ve rescinditur, & ab intestato defertur hereditas, l. *Papinianus* 8 §. 16. D.

De inoff. testam. Quare falsum est, quòd existimat Bart. ad l. num. 1. D. De suis & legit. hered. testatorem non decedere intestatum, ubi illius testamentum natiuitate posthumi post mortem testatoris rumpitur, eo quòd semel testatus decesserit; contra descriptionem intestati supra à nobis relatum. & d. l. 1. in pr. in verbis sed & u. qui testamentum. Et ratio est, quia testamentum, in quo posthumi præteritus est, & quòd natiuitate eius rumpitur, irritat ipsam aditionem ab instituto herede antea factam, quasi numquam fuisset adita hereditas, vide Ang. Arcin. tit. *Instit. De hered. qua ab intestato defert.* Ultima descriptionis pars, aut nemo ex testamento heres extitit, eam sententiam habet, quòd quando cumque ex testamento heres institutus non adit hereditatem, ut quia noluit, vel non potuit adire; vel conditione defectus est, sub qua institutus erat, rectè quoque dicitur defunctus decessisse intestatus, §. 7. *Instit. De legit. agnat. success.* quòd i testamenti causa ex aditione hereditatis pendeat, §. 5. *Instit. De hered. qualis & diffor.*

SUMMARIA.

In Cap.

Primum.

1. Clerici quatenus de bonis donare possint, & quid nomine donationis veniant.
2. Bona Clericorum ab intestato decedentium quando Ecclesia cadant.
3. 4. Bona Clericorum sunt quadruplicis generis.
4. Clericus de bonis patrimonialibus liberè testatur.
5. In successione ab intestato cur primò vocentur liberi.
6. Cur descendentes etiam remotiores excludant avum vel aviam.
7. Non refert, liberi sint in potestate, an emancipati; seculares, an Clerici.
8. Statutum excludens Clericos vel Monachos à successione an valeat.
9. Pactum de non succedendo in initum à filia cum patre cur improbet lex civilis.
10. Pactum ejusmodi juratum valet jure Canonico.
11. Etiam à minore 2. annis in initum.
12. Quâ ratione sustineantur statuta, quibus famina dote contenta excluduntur ab hereditate parentum.
13. Dos quanta tunc constitui debeat.
14. Liberi in parentum suorum successione intestata conferre debent dotem vel donationem propter nuptias à parentibus acceptam.
15. Peculium quatuorplex; & quid castrense vel quasi.
16. Peculium adventitium quid.
17. Quid profectitium.
18. Libri à patre empti filio studiorum causâ an veniant in collationem?
19. Donatio simplex à patre facta filio in potestate quando sit conferenda.
20. Intellectus Auth. Ex testamento C. C. collat.
21. Donationem simplicem confert filius emancipatus.
22. Non etiam expensas studiorum causâ factas.
23. Nisi onis pater probeatur fecisse animo credendi.
24. Vel nisi ex bonis ipsius filii propriis fecerit.
25. Succedunt & liberi ex matrimonio putati & nati.
26. Naturales liberi qui dicantur.
27. Naturales qui & qualiter succedant.
28. Naturales in distindâ succedunt matri, etiam jure Pontificio.
29. Concubinarius natus interdicitur hoc jure.
30. Naturales in feudis non succedunt.
31. Spurius, & eorum genera varia.
32. Spurius non succedunt patri aut matri.
33. An neque nati ex Clerico in sacris constituto & soluta?
34. Jure Canonico spuris præstanda sunt alimenta à parentibus.
35. An communibus utriusque expensis?

Ff 3

36. Ascen-

36. Ascendentes quando & qualiter liberis suis ab intestato succedant.
37. Inter ascendentes non est locus representationi.
38. Succedunt liberis suis una cum eorum fratribus, & sororibus, & horum premortuorum filiis.
39. Liberi sui illegitimi qualiter succedant.
40. Collaterales quo ordine ad successionem vocentur.
41. Filii fratrum soli qualiter patruo suo succedant.
42. Inter collaterales illegitimos an sit successio.
43. Vxor quando succedat marito, & contra.
45. In bona Ecclesia non succedunt Clerici defuncti heredes.
46. Clerici rerum & proventus Ecclesiasticorum sunt administratores, non domini.
47. In bona huiusmodi non succeditur Clerico ab intestato.
48. Consuetudo contraria hac in re an valeat?
49. Relicta à Clerico ex redditibus Ecclesia cui applicari debeant.
50. Clericorum spolia quibus hodie cedant.
51. Bona quasi patrimonialia Clerici ad legitimos suos heredes transmittunt.

Hoc Cap. duo continet: unum, quod Episcopi, Presbyteri, alique Clerici bona, quæ ex hereditaria successione, aut alio titulo inuito personæ suæ acquisiverunt, donare aliis possint arbitrato suo. Alterum est, quod illis intestatò descendentibus, Ecclesia, sive altari, cui inservierunt, eadem bona applicari debeant. Huic similis textus extat in can. 2, xii. q. 3.

Ubi in primis animadvertendum est, cum textus noster inquit, *donare eis liceat, cui voluerint, dum vivunt*, donationis nomine etiam intelligi quamvis alienationem, sive ea fiat per viam alterius contractus, sive per ultimam voluntatem, l. Cuius 163, D. De R. l. juncto sexu in d. c. 2, & can. 1, vers. si autem ipsi, d. q. 3, in c. Quia nos 9, in c. Relatum 12, § 3, vers. ceterum, & in c. Requisisti 15, § fin. sup. De testam.

Deinde in posteriori parte Cap. nostri suppleendum est, bona Clericorum propria ab intestato decedentium ita demum Ecclesie, sive altari applicari, si nulli ipsis legitimi heredes, quibus talia bona ab intestato deferantur, superint; nam hos Ecclesie præferendos esse notant hic Glos. Innoc. Panorm. & Burr. & comprobat text. in can. fin. xii. q. 1, & in Nov. 131, de Eccles. tit. c. 13, vers. si quis autem Episcopus. Sum enim ejusmodi bona in

rebus Ecclesie annumerari non possint, d. c. 2, iniquum esset, Ecclesiam cum aliorum, id est, legitimorum heredum injuria locupletari, contra tit. 13, de alienat. feudi vers. sed diversum observatur lib. 1, Feud. & can. Sicut 15, xii. q. 2. Nam legitimis heredibus, ubi defunctus testamentum non fecit, debetur hereditas quasi ex præsumpta ipsius voluntate, l. 5, & l. Confiuntur 8, § 1, D. De iure codicil.

Ut autem hæc Clericis succedendi ratio explicatior sit, sciendum est, bonorum, quæ à Clericis possidentur, quatuor esse genera: aut enim sunt Clericorum bona patrimonialia, hoc est, quæ ex successione hereditaria, legato, fideicommissio, contractu, aut alio simili titulo ipsis obvennerunt, intuitu scilicet personæ suæ, non verò ratione Ecclesie, sive beneficii Ecclesiastici. Alia sunt bona ipsius Ecclesie, quæ sustentandis, & exhibendis Clericis destinata sunt. Tertii generis sunt bona percepta ex proventus sive redditibus Ecclesie, quæve ex iisdem sunt comparata. Quarta generis sunt bona quasi patrimonialia, quæ quidem ratione clericalis ordinis sive officii proveniunt, sed separatim extra beneficii sui redditus; veluti quæ Clericis obveniunt ex celebratione Missæ, concionibus, confessionibus, & similibus actibus spiritualibus, de quorum successione in progressu sigillatim agemus.

Ac in primis quod ad bona patrimonialia attinet, hæc cum ab ipsis Canonibus extra Ecclesie res recensentur, eodem jure æstimanda sunt, quo laicorum bona; ac proinde de his Clerici pro arbitrio suo, tamquam veri domini, possunt disponere, per jura sup. allegata; in iisque succeditur ab intestato non aliter, quam in laicorum bonis, nisi quod, non existentibus liberis, aliisque legitimis heredibus, Ecclesia tandem succedat, excluso fisco, per hunc text. nostr. & ibi Did. & in d. c. 13, vers. si quis autem Episcopus Nov. 131. Quinimò Clericus possidens Ecclesiasticum beneficium, & simul bona patrimonialia, potest licetè reservare hæc bona sua heredibus, & Ecclesie redditus in usum suum convertere, ex sententia Innoc. in c. 4, sup. De præbend. quem ibidem sequitur, & communiter receptum esse adferit Panorm. sub num. 2. Non refragantibus aliis canonibus, quibus contrarium innuitur, quos & ibidem conciliant Innoc. & præcipue Panorm. & Did. Covarr. in c. 1, § 3, & 4, sup. De testam. cujus & ego memini ad d. c. 1.

Quare

5 Quare cum eadem sit ab intestato successio in bonis Clericorum patrimonialibus, quæ est laicorum, primum omnium in eam vocabuntur liberi Clericorum, si quos habeant legitimos; deinde parentes; his deficientibus, fratres, sorores, alique cognati; juxta ordinem graduum, Nov. 118, *De hered. ab intest. venient.*

Et quidem liberorum in succedendo prima causa est, quod illis naturali quadam ratione parentum hereditas debeat, *l. Cum ratio 7, in pr. D. De bonis damnat. & l. Nam nisi parentibus 1, in pr. D. De ineffic. testam.* Usque adeo ut, etiamsi quarto, vel ulteriori gradu liberi à defuncto parente descendant, nihilominus hi omnibus ascendentibus & cognatis in succedendo præferantur, *d. Nov. 118, cap. 1.*

6 Sed hic exquiratur ratio, cur discedentes liberi longissimo gradu distantes excludant avum, sive aviam proximo gradu defunctum attingentem? Eam eleganter tradit IC. in *l. Liberos 210, §. sine D. De verb. signif.* etenim, inquit, idcirco filios, filiaive concipimus, atque edimus, ut ex prole eorum earumve diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus. Quibus verbis IC. subindicat id fieri voto ipsorum parentum, ut, apud quos diuturnitatis memoria futura erit, ad eodem quoque hereditas eorum pertineret. Eadem ferè ratio redditur in *l. Scripto in fine D. Vnde liberi.* Quare in hac successione parentum non solum sanguinis habetur ratio, sed magis, ut consulatur memoriæ defuncti.

7 Neque distinguendum est, liberi in potestate parentis constituti sint, an emancipati, juxta *d. Nov. 118, cap. 1,* item sæculares sint, vel Clerici, sive Monachi, etiam si iavitis parentibus hoc vitæ genus elegerint: nam omnes æquè admittuntur ad successionem parentum suorum, *per text. in l. Deo nobis. 6, §. 1, C. De Episc. & Cler. incap. Quia nos 9, in cap. Relatum 12, vers. ceterum sup. De testam.*

8 Quod ad eò verum esse existimat Nic. de Ubald. in tract. suo de success. ab intest. Cleric. ut ne quidem valeat statutum excludens Clericos, vel Monachos à successione parentum, sive cognatorum suorum, eò quod tale statutum pugnet cum libertate Ecclesiastica, *Auth. Cassa C. De sacros. Eccles.* Idque ante eum quoque censuerunt Batt. ad *d. §. 1 l. 56, num. 5, & Bald. in l. fin. C. De pactis.* Qui tamen sub hac distinctione loquuntur, ut, si statutum disponat de ingrediente Monaste-

rium per hæc, vel similia verba, *Ingrediens Monasterium* vel, *si quis ingrediatur Monasterium, sit privatus jure succedendi*, hoc casu valeat statutum, cum non disponat circa Monachum, aut Clericum, sed circa laicum, qui statutum jurisdictioni subiectus est. Si verò statutum loquatur de jam ingresso, quod scilicet ingressus Monasterium non succedat, ut hac specie statutum non subsistat, id eò quod conferat dispositionem suam in id tempus, quo ingressus exemptus est jurisdictione statuentium. Verum rectius Felius in *c. In presentia 8, num. 38, sup. De probat.* putat, hujusmodi statutum non valere, etiam quoad eandem ingressum: & citat in hanc sententiam Ang. Roman. Imol. & alios; ut & se consultum respondisse testatur Paul. Castr. in *l. Si quis id 7, n. 8, D. De jurisd.* Et ratio redditur, quia hoc statuto, tamquam pœnali, ingrediens deterreretur à meliori proposito, ut idcirco merito explodi debeat statutum, *arg. c. Gemma 29, inf. De spons. & matrim. & l. Titia 134, in pr. D. De verb. oblig.* Sed hæc ratio parùm urgere videbatur in Monacho, sive in Moniali, cum utriusque proprium sit continere omnia propter Christum. Ideoque magis placet alia ratio, quam *d. loca* adfert Felin. quod scilicet hujusmodi statutum de ingrediente Monasterium, etiam de non subdito disponat, cum non prius effectum suum sortiatur, quam professio Religionis emissa sit. Ut merito non valeat ejusmodi statutum, tamquam in non subditum factum, *per text. in c. Ecclesia S. Mariae 10, §. 1, sup. De consue.* Quâ ratione nec illud valebit statutum, quo ingrediens Monasterium prohibetur succedere, si alius masculus extiterit. Secus tamen, si simpliciter statuto cautum esset, mulierem non posse succedere, masculino extante: nam hoc casu rectè includeretur etiam Monialis, cum ante ingressum mulier illâ qualitate semper affecta fuerit. Vide hac de re latius And. Gail. *lib. 2, Obs. 32, num. 4.*

Atque hæc de liberis ab intestato succedentibus duobus modis restringuntur: uno, nisi renuntiârint juratò successioni parentum: altero modo, nisi lege municipali aliter receptum sit. Hujusmodi in Italia statuta reperiuntur, quibus fœminæ dotatæ, vel dotandæ, extantibus masculis, excluduntur à paterna successione, quemadmodum refert Nic. de Ubald. *d. tract. n. 20.* Utrumque modum paulò fufius explicemus, eò quod in praxi sæpè incidat.

Quo

9 Quo igitur ad modum renuntiandi, extat Constitutio elegans Bonifacii VIII. S. Pont. in cap. 1. De pact. lib. 6, in hæc verba: *Quamvis pactum patri factum à filia dum nuptiis tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex Civilis; si tamen juramento non vi, nec dolo præstito firmatum fuerit ab eadem, omnino servari debet; cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. Ita Constitutio. Ubi in primis inquirenda est ratio, cur pactum à filia cum patre initum de non succedendo in ejus hereditatem, improbet lex Civilis, quæ extat in l. 3. C. De col. las. Sunt, qui existimant eam idem improbare, quod futuræ successioni renuntiari non possit, per text. in l. Qui superstitus 94. D. De acquir. vel omis. hered. Sed falluntur, cum consensu ipsius, de cuius successione agitur, id fieri possit, l. fin. C. De pactis l. 1. C. eod. tit. Venior autem ratio est, quam Justinianus adfert in l. Si quando 35, §. 1. C. De inoff. testam. quo loco ait, filios meritis potius, quam pactioibus ad paterna obsequia provocari, & astringi debere. Solent enim filii, filii ve ob reverentiam paternam faciliè induci ad hujusmodi pactiones, ut accepta etiam re minima renuntient hereditati paternæ.*

10 Bonifacius verò S. Pont. Constit. suâ jam d. ita hanc renuntiationem moderatur, ut tunc valeat renuntiatio, si juramento sit confirmata: cum enim juramentum nos Deo obliget, c. Debitores 6, sup. De jurejur. impium visum fuit Pontifici, hoc juramentum non servari, & committi crimen perjurii.

Neque obstat, quod juramentum hoc in casu accedat renuntiationi hereditatis, quæ aliàs ipso jure nulla est; & subsequenter nec juramentum valere debeat, l. Non dubium 5, C. De legib. junctal. Cùm principalis 78, D. De R. l. quia illud jure Canonico non admittitur in juramento, ut hereditas propriam & separatam eo jure obligationem parit inter Deum & ipsum jurantem, d. c. 6. Sicut accidit & in jurata alienatione dotis, vel donationis propter nuptias, quæ etsi simpliciter consensu uxoris facta non valeat, Instit. Quib. alien. licet vel non in pr. l. un. §. Et cum lex Julia C. De rei uxoria act. nihilominus accessione juramenti sustinetur, c. Cùm contingat 28, sup. De jurejur. & c. 2, eod. tit. lib. 6. Quod non agnoscit jus Civile: nisi velimus d. l. 5, accipere de talibus contractibus, sive pactioibus quæ turpitudinem in se continent, quæ nec jure Canonico subsistunt, etiam si juratæ sint, juxta juris regulam: Non est obligatorium contra bo-

nos mores præstitum juramentum, c. 58, De R. l. lib. 6, & Auth. Quod est permittitur C. De nuptiis. Nec enim juramentum inventum & introductum est, ut sit vinculum iniquitatis, c. Quanto 6, sup. De jurejur. & can. Inter cetera 12, xxii q. 4.

Itaque licet pactum de non succedendo patri à jure civili improbatum sit, adeo quidem, ut nec obligatio naturalis ex eo nascatur, propterea quod lex hujusmodi pacto resistat, & consequenter pro infecto habeat quoad luum effectum, d. l. Non dubium & c. Quæ contra 64. De B. l. lib. 6, jurandi tamen religione confirmatur, ut jam explicatum est. Atque adeo etiam hoc pactum juratum à judice sæculari in foro suo servandum est, propter animæ periculum, per text. in c. 2, De jurejur. lib. 6.

Neque refert renuntians hereditati major sit, vel minor 25. annis, etiam absente tutore vel curatore, propter metum perjurii; quo & obstringitur impubes, si doli sit capax, per text. in c. 5, inf. De delictis puer. ubi textus aperte asserit, puerilem ætatem furtis, mendaciis, & perjuriis esse plenam. Nec quidquam facit absentia tutoris vel curatoris, cum juramenti ea vis sit, ut jurantem Deo obliget, juxta illud: Redde Domino juramenta tua, Matth. c. 5, vers. 33, & d. c. 6, sup. De jurejur. Vide quæ latius dixi ad d. c. 28, eod.

Quod verò ad alterum modum attinet, quo filia quandoque ab hereditate parentum excluditur per statuta locorum, id fieri creditur conservandæ familiæ, id est, agnationis causâ, prout ex Baldo, & aliis probat Philip. Porc. lib. 2, concl. 47, & idem arbitratur Nic. de Ubald. de success. ab intest. num. 19 & seqq. Cùm enim honor, & familiæ dignitas divitijs, tamquam suis nervis, sustentetur, l. 1, §. 13, D. De instic. vestr. consulto visum fuit horum statutorum conditoribus, ut hereditas potius ad masculos, quam ad feminas devolveretur, §. 4, vers. quod ideo Inst. De legit. agnat. success. si quidem per masculos familiæ conservantur, & propagantur; per feminas minimè, cum hæc nubendo transeant in mariti familiam, l. Pronuntiatio 195, §. 1, & fin. D. De verb. sig. ubi dicitur mulier familiæ suæ & caput & finis, junge l. Famina 8 D. De Senatorib. Et quamvis Justin. in l. Maximum vitium 4, §. consue C. De lib. pret. naturæ humanæ quasi accusatores eos compelleret, qui inter filios & filias differentiâ succedendi constituunt, id tamen non aliter accipiendum est, quam quod attinet ad jus sanguinis; quod inter parentes & liberos utriusq; sexus æquè intercedit, cum filii & filia quoad sanguin-

sanguinis conjunctionem æquæ vicini sint suis parentibus, atque idcirco æquis portionibus in parentum hereditatem admittendi. Cæterum si consideremus alios effectus, qui à jure Civili ipsi liberis tribuuntur, utpote quod eadem familia cum parentibus censeantur, eademque nobilitate fruantur, maximum inter eos discrimen est. Nam filii parentum familiam, quæ continentur, prole ex se legitime susceptâ amplificant; filiaæ verò nubendo familiam egrediuntur. Et hoc est, quod antè diximus ex *d. l. 195. §. fin.* mulierem familiæ suæ & caput esse & finem. Hujus igitur respectu, ne familiæ, præsertim insigniores, intercidant, locorum statuta sustinentur, quibus feminæ solâ dote contentæ à successione parentum excluduntur; non si solius conjunctionis sanguinis habeatur ratio, de qua in *d. l. Maximum vitium.*

13 Quæ autem, & quanta dos feminis statuto exclusivè à successione parentum constitui debeat, etsi apud *Dd.* controversum sit, sicut videre est apud *Jac. Menoch de Arbitr. jud. quest. lib. 2. casu 149.* non video tamen aliter discernendum esse, quàm ex sententiâ Juris. Celsi & Papiniani in *l. Quarto 60 in l. Campost 69 §. 4. & §. 5. D. De jure dot. & in l. Si filia 43, D. De legat. 3,* ut scilicet statuatur dos pro modo facultatum, & dignitate natalium mulieris, & viri; quod arbitrio judicis æstimabitur, ut rectè tradit idem *Menoch jam d. loco.* Ubi enim aliquid abest statuto, id suppleri debet ex jure communi, *l. 2. C. De no. val. act. ionib. & in l. Cum dil. etus 8, §. fin. sup. De consuet. nisi aliter usu familiæ receptum sit, ut etiam minor constitutio dotis valeat in favorem familiæ, & fin. sup. De consuet.*

14 Ubi igitur successioni parentum jurato pacto renuntiatum non est, aut aliter statuto loci receptum, sicut jam comprobavimus, pro regula retinendum est, liberos utriusque sexus in parentum suorum successionem ab intestato æquo jure admitti, *jurib. supra alleg. præsertim ex d. Nov. 118, c. 1,* dummodò liberi meminerint, qui dotem vel donationem propter nuptias à parentibus suis acceperunt eam conferendam esse, vel reipsâ, vel eo minus ex hereditate percipiendo. Nam nisi receptam dotem, vel donationem propter nuptias in commune contulerint, à cæteris fratribus & sororibus rectè excluduntur ab hereditate parentis, *l. 3, 4, & l. Ve liberis 17, C. De collat.* ut pura, sint tres fratres vel sorores, quorum unus fratrum donationem propter nuptias acceperit

à parente, vel una ex sororibus dotem; hic enim & hæc, si in divisionem hereditatis ejusdem parentis admitti desiderant (non enim conferre tenentur, ubi se abstinent hereditate parentis, *l. fin. D. De dotis collat.*) conferenda erit prius à filio donatio propter nuptias, & à filia dos; alioquin à cæteris coheredibus submovebuntur. Idque statutum est ob æqualitatem servandam inter liberos, *d. l. Ve liberis & l. penult. C. De collat.* Et non tantum hoc observatur in successione ab intestato, verum etiam quando ex testamento parenti succeditur; nisi de dote, vel donatione propter nuptias non conferenda expressè cautum sit ab ipso testatore, quo casu cessabit hæc collatio *Auth. Ex testamento C. De collat.* Idem est de militia, id est officio, cujus commoda sunt annonæ & salaria, quæ ex publico præstantur (nam & hæc militiæ nomine veniunt, *l. Lucius 12, D. De legat. 2.*) à parente emprâ filio, ut, oneris ipsius æstimatione subductâ, lucrum ejus, quod tempore mortis parentis erit, in communem hereditatem conferatur, *d. l. pen. in pr. C. d. t.* quod ita explicat *Gloss. ibid. in V. poterat.* Pone, inquit, militiam empram esse centum: tempore verò mortis parentis valet 30, onus militiæ sunt 30, Quod superest, scilicet viginti, in lucrum impuatur, quod cæteris coheredibus est communicandum: nec enim lucrum intelligitur, nisi deducto onere æstimationis, *l. Meritò 51, in pr. D. Pro socio.* Ubi tamen animadvertendum est, ut ea, quæ conferenda esse diximus in communem hereditatem, tunc conferantur, quando agitur de successione ejus parentis, qui ea liberis suis contulit. Si enim à matre dos vel donatio propter nuptias constituta sit, ea certè, cum agitur de successione patris, minimè conferenda est, cum à patre non fuerit profecta; sed tunc conferri debet, quando agitur de successione matris, *d. l. Ve liberis C. De collat.*

Cæterum apud *Dd.* quæstio est, An libri à patre studiorum causâ filio comparati cæteris fratribus, & sororibus sint conferendi; item, An reliquæ expensæ studiorum gratiâ factæ à patre? Ut autem hæc explicatiora sint, solet in filiofamil. quadruplex peculium constitui: unum castrense, alterum quasi castrense, tertium adventitium, & quartum profectitium. Peculium castrense id dicitur, quod filiofam. evanti in militiam, vel in ea degenti, à patre vel à matre, aliisque pròpinquis, vel amicis donatum est; vel ipse in militia acquisivit, quod, nisi militasset, acqui-

G g

siturus

fiturus non fuisset; item quod ex militari pecunia comparatum est, l. *Castrense* 11, D. *De castrensi pec.* l. 1, & l. 4, C. *cod. lib. 12*. Peculium verò quasi castrense est, quod Advocatus, Allessor, Medicus, Magister liberalium studiorum, vel alii sibi ex officio publico acquisiverunt, l. *Fors* 4, & l. *Cum advocatio* 8, C. *De advoc. divers. judic. l. Velut* 7, C. *De assess. & l. fin. in pr. C. De inoff. testam.* nam hi quodammodo militare dicuntur pro republ. l. *Advocati* 14, C. *D. t. De advoc. divers. judic.* Plenumque in utroque peculio filiusfam. dominium & administrationem habet, l. *Cum oportet* 6, §. 1, C. *De bonis qua liberis* & c. re & que de eo testatur, l. *pen. & ult. C. Qui test. fac. poss.* cum quoad utrumque peculium habeat, ut loco patrisfam. l. 4, & ibi *Glos. D. Ad S. C. Maced.* Quo fit, ut nec ea, quæ utriusque peculii sunt, debeat filiusfam. cæteris fratribus, vel sororibus conferre, sed sibi retineat *per text. in l. 1, §. 15, D. De collat. & l. fin. C. de eod. tit.*

Peculium adventitium est, quod extra peculium castrense, vel quasi filiosfam. obligit, veluti ex matris, vel alterius cujuscumque hereditate; vel ex contractu, sive alia causa, dummodò non ex re, neque prospectu patris. Eiusque conditionis est, ut parenti, in cuius est potestate filius, ususfructus ejus acquiratur, reservata à proprietate ipsi filio, d. l. *Cum oportet* & §. 2, *Inst. Per quas pers. cuique acquir. in quo et filiusfam. testamenti factionem non habeat, l. pen. C. Qui testam. fac. poss.* post mortem tamen patris id minimè conferendum est fratribus, & sororibus, *per text. in d. l. fin. C. De collationib.*

17 Peculium verò profectitium est, quod profectum est ex substantia, id est, facultatibus patris, §. 1, *vers. sancitum Inst. Per quas pers. cuique acquir. d. l. Cum oportet* 6, C. *De bon. qua lib. vel alio, prospectu tamen patris, argum. l. Advio §. fin. D. De acquir. vel omit. hered. & l. Sed si plures* 10, §. 6, D. *De vulg. & pup. subst. Glos. in d. l. 6, in pr. verbis, ex ejus substantia, Bart. ad rub. in fine d. De peculio.* Atque hoc peculium tantummodò a filiis confertur cæteris fratribus & sororibus coheredibus, ut cum reliqua hereditate inter omnes dividatur, l. *Filia* 12, C. *De collat. & l. Certum* 13, D. *Fam. ercisc.*

18 Iraque ad propositam questionem redeundo, An libri à patre empti filio post mortem patris in communionem cæteris fratribus, & sororibus, conferendi sint? Resp. Eos conferri non oportere, si non contraria voluntas patris appareat, eo quod generaliter traditum sit, ea, quæ à patre filio, vel filia in potestate constituta emptæ &

tradita sunt, post mortem patris fieri præcipua filiis, nec in communionem redigenda esse, *per text. in l. Filia* 18, *in pr. C. Fam. ercisc. & l. 3, in fine D. De numerib. & hon. at donatio facta filio, vel filia, licet vivo patre nulla sit, propter vinculum patriæ potestatis, si tamen vivo patre ab eodem non revocetur, ex morte patris confirmatur, l. Donationes* 23, C. *De donat. inter vir. & ux.* siquidem ea confirmatio vim legati, sive fideicommissi habet, *per text. in l. In donationib. 12, C. Ad L. Falcid. Legata verò vel fideicommissa cæteris coheredibus non communicantur, sed illis præcipua manent, quibus relicta sunt, l. Si qua* 7, & ibi *Solic. C. Fam. ercisc. l. Si ita legatum* 42, D. *cod. tit.* Quare idem statuendum est circa expensas factas à patre filio studiorum gratiâ; cum & hæc in dubio præsumantur donata pietatis causâ, l. *Qua pater* 30, D. *Fam. ercisc.* Id quæ ad eò obtinere ex litimo, etiam si occasione librorum emptorum, vel expensarum magna inæqualitas inter liberos suboriretur, contra *Bart. & alios relatos à Menochio de Arbitr. jud. quæst. lib. 2, casu* 131, dum tamen ex hac donatione reliquorum filiorum, & filiarum legitimæ portioni non præjudicaretur; nam hoc casu esset inefficacia donatio, quæ à parentibus facta filiis, vel extraneis revocaretur ad legitimam liberorum, l. 1, & *100 tit. C. De inoff. donat.*

Cæterum, quod diximus, donationem simplicem non venire in collationem hereditatis, probatur & *per text. in l. illud* 26, §. *un. C. De collat.* Exceptis tamen tribus casibus: quorum hic primus est, si tempore donationis dictum sit à donatore, ut conferatur. Secundus est, si uni liberorum ob causam donatum sit, puta ob dorem vel donationem propter nuptias, alteri verò simpliciter, id est, sine causa: tunc enim, vitandæ inæqualitatis causâ, conferenda simul est & donatio simplex. *Uterque casus continetur in d. l. 20, §. un.* Tertius est, si donatio filio facta sit, ut rem donatam retineat in periculo; nam & tunc non cum reliquo peculio ipsius filii in communionem veniet, l. *Si donatione* 13, C. *De collat.* His igitur casibus donatio simplex non confertur.

Neque obstat textus *Auth. Ex testamento C. d. 10 tit.* quo non tantum dos, sed & alia donata conferri jubentur: ac proinde sunt, qui existimant, auctoritate *d. Auth.* etiam donationem simplicem conferri oportere; quia hic textus *d. Auth.* revocandus est ad *Novel. 18, c. 6, unde desumptus est.* Nam in eo Justinianus veteris tantummodò Ju-

ris differentiam aboler, quo solum ab intestato collatio fiebat, non si ex testamento succedebatur, ut in l. 1. §. 1. *De collat.* Quod discri- mineo Justinianus ita sustulit, ut, quæ a legitimis heredibus intestato succedentiis conferri solebant, eadem sim- pliciter conferantur à testamentariis heredibus. Si verò donatio simplex ab intestato non conse- rebatur, d. l. 20, §. un. ergò neque ex testamento, id est, ab heredibus ex testamento succedenti- bus.

21 Diversum est in emancipato filio, qui præter donacionem propter nuptias, etiam donacionem simplicem cæteris coheredibus in potestate con- stitutus conferre tenetur. *per text. in d. l. 17, §. in l. Si emancipati 9, C. De collat.* Cujus diversitatis ratio hæc est, quia, cum hæc donatio à principio valuerit inter patrem & filium, propter sublatam potestatem patriam, l. 2, C. *De inoff. donat.* vel saltem emancipatioque convalescat, si antea facta fuit, l. 2, C. *Si quis alteri, vel sibi &c.* non habet vim legati, vel fideicommissi, cum patris morte non confirmetur; atque idcirco meritò conferatur

22 ab emancipato filio, d. l. 17, §. 1, C. *De collat.* Ex- ceptis tamen expensis studiorum causâ factis in filium emancipatum quas nec hic conferre tene- tur, eo quòd hujusmodi expensæ pietati pater- næ acceptoferantur; quasi naturali quodam de- bito filio fuerint ministratæ, d. l. 30, D. *Fam. ercise* Idem iudicium est de expensis Doctora- cus factis à patre filio, quas nec conferre cogitur filius. *per text. in l. 3, §. fin. D. De numer. & honorib.* usque ad eò, ut ne quidem fructus & emolumenta ex Doctoratu proficiencia, cum hæc oneribus imputentur, l. 1, §. 15, D. *De collat.*

23 Quæ tamen duplici ex causa restringuntur: unâ, nisi pater sumptus studiorum gratiâ factos credendi animo fecisse comprobetur; hæc enim specie cedent filio in diminutionem portionis suæ hereditariæ. Ita in emancipato filio respon- dit Ulp. in d. l. *Qua pater* 10, in filio verò consti- tuto in potestate suader eadem æquitas. Nam licet inter patrem & filium in potestate existen- tem nulla nascatur civilis obligatio, l. *Si ve eman- cipatis* 17, C. *De donacionib.* nihilominus inter eos oritur obligatio naturalis, l. *Frater à fratre* 38, §. 1, D. *De condict. indeb.* quæ, cum sufficiens sit ad com- pensandum, l. 6, D. *De compensat.* repelli saltem fi- lius poterit ab hereditate patris exceptione com- pensationis, §. 39, *Inst. De action.* nec enim pater tene- tur filium alere in studiis, nisi talia sint studia, sine quibus filius secundum consuetudinem, &

conditionem suæ personæ vivere non posset; tuæ enim ad id officio iudicis compelli posset pater, *per text. singul. in l. De bonis* 6, §. 5, & ibi Bart. D. *De Carbon. edicto*, quo loco pupillo, cui contro- versia moveretur, an inter liberos haberi debeat, decerni iubentur non solum alimenta, sed & in studia impensæ necessariæ. *Facit etiam textus in l. 4, D. Vbi pup. educari &c.*

Altera est hæc sive limitatio est, nisi apud patrem aliquid sit, quod proprium sit ipsius filii, ut sunt bona castrensia, vel quasi, aut etiam ad- ventitia consentientia in pecunia penes patrem; nam hoc casu censetur pater sumptus fecisse ex bonis ipsius filii, l. *fin. D. De hered. pot.* ad eò quòd cesset præsumptio pietatis, de qua in d. l. *Qua pater, argum. l. Neseinius* 34, D. *De negot. gest.* Bart. ad l. 1, §. 15, n. 8, D. *De collat.* Et mirum non est, cum ne quidem pater alere simpliciter cogatur filium, si aliunde habeat, unde se possit alere, l. *Si quis à li- beris* 5, §. denique idem D. *De agnos. lib.* §. l. *Cum non solum* 8, §. 5, C. *De bon. qual. liberis &c.*

Atque hæc hæctenus de liberorum descenden- tium successione ad eos pertinent, qui ex legiti- mo matrimonio nati sunt, aut saltem per subse- quens matrimonium legitimi effecti, *iuxta text. in c. Tanta* 6, *inf. Qui fil. sint leg.* Idem omninò judi- cium est de liberis procreatis ex putativo matri- monio, id est, publicè contracto, & bonâ fide saltem unius parentum; nam & hi liberi legitimè natis ex æquantur, c. 2, &c. *penult. inf. eod.*

Præter hos alii quandoque nobis liberi fiunt, aut nascuntur; ut sunt adoptivi, naturales, & spu- rii. De adoptivis liberis, quomodo hi succedant patri adoptivo, *vide text. in l. pen. C. De adopt. & in §. Sed ea omnia* 4, *Instit. De heredit. qua ab intest. defer.* Naturales verò liberi illi dicuntur, quos sola natura genuit, non honestas conjugii, *can. fin. in pr. xxxi* 1. q. 4, Ita ut non solum ex concubina nati, sed & ex scorto, adultera, aliove damnato concubitu suscepti, naturalium nomine rectè contineantur; inspectâ scilicet nominis etymo- logiâ: nam Juris auctoritate, cum loquendi con- suetudine, illi tantummodò naturales dicuntur, qui ex concubina, vel meretrice concepti & edi- ti sunt; cum is concubitus à jure Civili permis- sus sit, hoc est, nullâ constitutâ pœnâ vindicetur l. 3, in pr. D. *De concub. & l. Si ea* 22, C. *Ad l. Iul. de adult.* *Vide omninò Baldum conf. 129, vol. 2.*

Itaque naturales liberi non omnes promiscuè in hereditatem parentum suorum admittuntur; etenim soli admittuntur in successione patris

nari ex concubina, quæ scilicet sola fuit patri indubitato affectu conjuncta: non quidem in totam hereditatem, sed tantum in duas uncias, id est, in sextam partem hereditatis; reliqua enim hereditas ad proximiores agnatos sive cognatos devolvitur: dum tamen non super sint, patri legitimi filii, vel conjux legitima, per text. in *Auth. Licet C. De naturalib. lib. 2. Novel. 18. De triente & semisse c. 5.* In cæteris autem liberis naturalibus nulla successio admittitur in bona patris intestato decedentis, *l. Humanitatis 8. jur. d. d. Auth. Licet. c. 12. §. 5. Novel. 89.*

28 Quod verò ad matrem attinet, huic omnes liberi naturales, sive in concubinato, sive ex meretricio concubitu suscepti, rectè succedunt, §. *vulgo Inst. De success. cognat. c. 1. 2. D. Unde cognati:* adeo, ut & querelam habeant inofficiosi contra testamentum matris, *l. Si in fidei 29. §. 1. D. De inoff. testam.* Quare & extantibus legitimis liberis, simul parique jure in hereditatem matris vocantur, dum tamen mater illustis persona non sit, *juxta text. in l. Si qua vultu 5. C. Ad S. C. Orfic.* Quæ profectò etiam hodie jure Pontificio subsistunt, etiam si concubinarum usus eo jure planè sit interdictus, quemadmodum & meretricium, *can. Nemo blanditur 4. xxiii. q. 4.* Cum enim successio nis jura à legibus civilibus profuxerint, ad easque revocari debeant, *c. fin. dist. 1. c. Per venerabilem 13. §. fin. ubi latius Ant. Butr. sub n. 10. infr. Qui filii sint legit.* dubitare non convenit, quin & hi naturales liberi de jure Pontificio in parentum suorum successione, prout jam dictum est, admittantur.

29 Quod autem concubinarum usum interdictum diximus jure Pontificio, non pugnat cum textu in *can. 4. Extr. seq. dist. 34.* quia his textibus concubinæ appellantur uxores, quæ sine dotalium instrumentorum solemnitate ductæ, verè tamen affectu conjugali conjunctæ sunt: nec enim videntur legitimæ uxores, nisi & dotalia instrumenta, alia que solemnitate à jure Canonico proditæ intervenerint, *de quibus in can. 1. in pr. xxx. q. 5.* Licet interim quoad consensum conjugalem verè sint uxores, & latiori vocabulo concubinæ dicantur.

30 In feudo observatur, ut filii naturales in nullam paterni feudi successione admittantur, etiam si rescripto Principis sint legitimati, *tit. 2. 6. in pr. vers. naturales lib. 2. Feud.*

31 Jam, quoad liberos spurios, sciendum est, spurii nomen aliquando latius, aliquando strictius

sumi. Latius spurii omnes illi dicuntur, qui illegitimè sunt nati, puta ex fornicatione, incestu, adulterio, sive ex alio quolibet turpi congressu, *l. Vulgò concepti 2. 3. d. De statu hom. Bart. in l. fin. n. 2. D. De h. s. qua ut indig. aufer.* Strictius verò spurii appellantur, qui ex meretricio suscepti sunt, qui & vulgò concepti dicuntur, quasi *opacè lev.* id est, sparsim concepti; vel quasi sine patre filii, ut loquitur Justin. in §. *Si adversus 12. Inst. De nuptiis:* & de his proximè egimus. De spurii prioris generis, exceptis meretriciis, varia nomina in jure & apud interpretes extant, pro diversitate concubitus, ex quo prodierunt. Nam qui ex adulterio nati sunt, vocantur adulterini; sicut & illi, qui ex stupro, eo quòd lex Julia stuprum & adulterium indifferenter sumat, *l. Inter stuprum 101. in pr. D. De verb. sig. c. l. Inter liberos 6. §. 1. d. Ad l. Int. de adul.* Qui verò ex patre monacho, vel sacris ordinibus initiato, aut ex moniali, appellantur sacrilegi; præterquam quòd in moniali hoc amplius sit, quòd in ea triplex crimen admittatur, adulterium incestus, & sacrilegium, *can. Virginib. 14. c. ibi gl. xxvii. q. 1.* Qui ex consanguineis, & affinis in gradu prohibito nascuntur liberi, hi incestuosi, & nefarii dicuntur, §. *Ergò non omnes Inst. de nupt. c. l. fin. d. De ritu nupt. can. De incestis 8. xxxv. q. 2. c. 3. de quibus latius Palæotus in lib. suo de Nobiis & spuris.*

In his igitur liberis, qui ex damnato & legibus punito concubitu nascuntur, constituti juris est, eos intestato patri non succedere, *per text. in c. fin. Nov. 89. Quib. mod. natur. effie. sui, c. Auth. Ex complexu C. De incestis, c. in ut. nupt.* Idque adeò obtinet, ut ne alimenta quidem ipsis debeantur à parentibus, *jam d. jurib.* ut vel hac ratione refrænetur parentum libido, *l. fin. C. De naturalib. liberis,* siquidem parentes propter affectionem magis in liberis, quàm in se terrentur, *ut ait text. in l. Ist. quidem 8. in fine D. Quod metus causâ.* Hinc non immeritò hæc sententia etiam ad matrem transferretur, ut nec ipsi matri tales liberi ab intestato succedant, *Glos. in d. Auth. Ex complexu, & Did. Covarr. post alios à se citatos in 4. Decretal. in 2. c. 8. §. 5. n. 21.* ubi etiam docet, hujusmodi liberos nec ex testamento matri succedere posse.

Dixi, ex damnato & legibus punito concubitu; quod hæc quæstio suboritur, Quid dicendum sit de filio nato ex Clerico in sacro ordine constituto & soluta muliere, an hic similiter à matris suæ successione removeatur? Quod existimat post alios idem Covarr. *d. loco o. 23.* eò quòd hic

concupitus à legibus sit damnatus. Contrà verò sentire videtur Guido Papa *decif. 280, n. 2.* dum vult, spurios ex adulterio vel incestuato concubitu natos succedere matri, dummodò hæc illustri non sit; idem igitur censendum est de spuris ex tali Clerico, & soluta muliere susceptis. Verùm Guidoni Papæ adversatur text. *d. Nov. 89, in fine & d. Auth. Ex complexu.* Mihi tamen quoad præsentem quæstionem contrarium verisimilius videri, nisi fortè ille concubitus etiam ex parte mulieris damnatus & punibilis sit, ut in virgine, vel vidua honesta, quæ stuprum admittit; nam hoc casu Covarr. sententiam veriorē esse existimo. Cæterùm si vulgaris aut vilis vitæ fuerit mulier, omninò putarem hæc specie spurios succedere posse matri suæ; cum ex parte matris non sit punibile hoc stuprum, *per text. in l. Si en 22, & in l. Quis adulterium 29, C. Ad L. Iul. de adult.* Quare idem censendum de filio nato ex conjugato & soluta, adhiberè prædictâ distinctione.

34 Quod autem antè dictum est, liberis ex damnato & punibili concubitu natis ne quidem alimenta præstanda esse à parentibus; id quidem ex rigore juris Civilis profectum est, sed à jure Canonico temperamentum accepit, ut non solum tales à parentibus alii possint, verùm etiam cogi parentes ad præstanda illis alimenta pro modo facultatum suarum, *per text. in c. Cum haberet 5, in fine inf. De eo, qui dux. in matrim. &c.* Etenim convenit æquitati naturali, ut eos, quos innaturam produximus, educando conservemus. *l. 1, §. 3, D. de just. & jure.* Neque liberis imputari potest, cum, teste D. Augustino, semen hominis, ex quo licumque sit homine, sit Dei creatura, & eo malè utentibus malè erit, *text. in can. Undecumque 3, dist. 56.* Quo fit, ut etiam alimenta liberis spuris à patre rectè relinquuntur in testamento, & exigi possint officio judicis secularis, sicut rectè monet Panorm. *ad d. c. 5, n. 5.* & secuta est Camera Imperialis; teste And. Gail *lib. 2, obs. 88, n. 12.* licet refragentur Alex. Jas. & alii, quos citat Palæotus in libello suo de Noth. & spur. c. 47. Hi enim existimant, hoc tantummodò obtinere in terris Ecclesiæ, non verò Imperii; ducti hac ratione, quòd leges civiles in Imperio, Pontificiæ verò in territorio Ecclesiæ sint observandæ, *c. 2. in pr. & ibi Gl. De arbit. lib. 6.* Sed falluntur, cum, auctore Paulo IC. necare is videatur, qui alimenta suo filio denegat, *l. 4, d. De agnos. & alen. lib. Ar-*

que hæc de utroque parente rectè dicuntur, *per text. in d. c. 5.*

Sed dubitatur, An communibus utriusque parentis expensis? Id putat Panorm. *ibid. n. 8, cum seq.* Sed verius est, eos non aliter à parentibus alendos esse, quàm si forent legitime nati; in quibus hic ordo observatur, ut primo tricennio ad matrem spectet educatio, deinde ad patrem, vel in subsidium ad eandem matrem, *l. 5, §. D. De agnos. & alen. lib. 1. Nejenius 34, D. De neg. gesti junctâ l. penult. & ibi Dd. C. De patriâ potest.* Neque obstat text. *in d. c. 5, inf. De eo qui duxit &c.* quoniam Panorm. nam tamen utriusque parentis mentionem faciat, non tamen eò pertinet, quasi utrique simul incumbat liberorum educatio; sed verba textus distributivè accipienda sunt, & ordine quodam successivo, ut jam dictum est. Et hæc hæctenus de descendensium successione: sequitur, quomodo è contra ascendentes descendentes succedant.

36 Quod igitur ad ascendentes atinet, hi liberis suis, si nullos descendentes ex se relinquunt, ab intestato succedunt *per text. in Nov. 118, c. 2.* Nam tamen magis liberis debeatur hereditas parentum, propter commune votum eorum, & naturalem erga liberos charitatem, nihilominus, turbato ordine mortalitatis, ratio miseræ onis facit, ut similiter parentes ad liberorum suorum hereditatem vocentur, *l. Scripto 7, D. Unde liberi & l. Nam etsi 15, in pr. D. De iust. testam.* Succedunt autem parentes liberis suis æqualiter, servatâ tamen graduum prærogativâ, ita videl. ut proximiores gradu excludant superiores, pater & mater avum & aviam, & sic de cæteris ascendentibus. Quòd si defuncto extant avus paternus & avia paterna, vel ex una parte avus paternus, ex altera verò avus & avia materna, sive ascendentes alii, qui æquali gradu sunt, hi omnes ad hereditatem defuncti admittuntur, idque in stirpes, non in capita; videlicet, ut medietatem quidem accipiant ascendentes à patre, quotquot ipsi sunt, reliquam verò hereditatem alii à matre ascendentes; sive plures sint, sive unus, *d. Nov. 118, c. 2.* Dixi, si æquali gradu sint ascendentes; secus, in æquali, veluti si defuncto extet pater, item avus maternus vel avia materna: hic avus maternus vel avia materna non concurrent simul ad hereditatem descendens, sed solus pater succedet. Idem judicium est de reliquis ascendentibus, ut semper proximior præferatur ulteriori

in succedendo; † cum in ascendentes nullus re-
 37 præsentationi locus sit, d. c. 2, & ibi Gl. in V. *proxi-*
mi, Nicol. de Ubal. *interact. de success. ab intest. p. 2.*
 quemadmodum in descendentes, c. 1, *vers. sic*
tamen d. Nov. 118, idque mirum videtur, propter
 mutuam correlativorum naturam, l. fin. C. *De ind.*
viduit. toll. Ut enim descendentes in suorum pa-
 rentum successionem vocantur, cum beneficio re-
 præsentationis, ita similiter & eodem jure vi-
 debantur admittendi esse ascendentes in descen-
 dentium hereditatem. Verum alia ratio est in
 descendentes quam in ascendentes: in des-
 cendentibus consultitur memoriæ defuncti, non
 item in ascendentes. Item, inquit IC. idcirco
 filios filiasve concipimus, & edimus, ut ex
 prole eorum earumve diuturnitatis memoriam
 in ævum relinquamus, *test. est in l. Liberiorum 220,*
§ fin. D. De verb. sig. Hinc, cum magis debeat hereditas
 descendentes quam ascendentes, sit, ut
 jus quoque præsentationis magis sit inter
 descendentes, quam ascendentes.

38 Atque ita se habet ordo ascendens, ut hi
 scilicet descendentes liberis suis ab intestato
 succedant, exclusis omnibus cognatis ex trans-
 verso sive ex latere venientibus, præterquam si
 extent fratres vel sorores germanæ: nam hi simul
 cum ascendentes vocantur, idque non in stir-
 pes, sed in capita, d. c. 2, *vers. si vero cum ascendenti-*
bus d. Nov. 118, Quod postea produxit Justinianus
 etiam ad fratris præmortui filios, ut & hi unâ
 cum ascendentes & fratribus ad hereditatem
 patris defuncti admittantur, non tamen in capi-
 ta, sed in eam hereditatis partem, quam habuif-
 set pater eorum, si is supervivisset, *Nov. Vi fra-*
trum filii c. 127, c. 1, Loquimur verò de fratri-
 bus vel sororibus ex utroque parente conjun-
 ctis: qui enim ex uno parente tantummodò de-
 functo conjuncti sunt, ii planè per ascendentes
 excluduntur, d. c. 2, *in verbis, solis fratribus ex utro-*
que parente conjunctis Vide latius Covarr. in tract. De
success. ab intest. n. 4, 5, & 6.

39 Et hæc locum habent, ubi agitur de successio-
 ne liberorum ex legitimo matrimonio descen-
 dentium; nam quod attinet ad naturales libe-
 ros, sive spurios, longè alia successio est, quam
 licet vel hac regulâ complecti: Quo modo suc-
 cedunt illegitimi liberi suis parentibus, eodem
 modo parentes iisdem illegitimis succedunt,
 Covarr. *d. tract. de success. ab intest. n. 19*, Palzor. *de*
Noth. & spur. c. 39, At verò id antè probatum est,
 naturales non nisi in duas uncias intestatis paren-

tibus succedere: spurios verò, quocumque tan-
 dem concubitu oriundos, nullâ ratione admitti,
 d. Nov. 9, c. 12, ergò nec parentes eorum aliter
 admittuntur. In matre tamen latius succeden-
 di jus receptum est, quia & ejus filii illegitimi
 largius in ipsius hereditatem invitantur; atque
 idè, sicut naturales, & vulgò concepti pleno
 jure matris succedunt, § *Vulgò quasi Inst. De success.*
cognat. l. 2, D. Unde cognati, ita similiter mater illis
 succedit, § *fin. Inst. de SC Tertul. c. 1. 2. D. eod. tit. ni-*
si una superstes sit & ipse pater; qui cum naturali
 filio succedit in duas uncias, ut jam dictum est;
 reliquæ verò decem uncie ad matrem devol-
 vuntur, d. § *fin. junctâ Auth. Licet C. De natur. lib.*
 In liberis ex damnato concubitu procreatis nul-
 la parentum & liberorum inter se successio est:
 parentes tamen ab his alendi sunt, quemadmo-
 dum & contra spurii ab ipsis parentibus, ex æqui-
 tate juris Canonici.

Deique de collateralium successione inter se
 hic ordo servatur; ut, si defunctus neque ascen-
 dentes neque descendentes reliquerit, primò ad
 successionem ejus veniunt fratres germani,
 unâ cum sororibus, ex iisdem patre & matre pro-
 ductis, exclusis omnibus agnatis, & cognatis, et-
 iam fratribus ex uno tantum parente conjun-
 ctis, quos appellamus vel consanguineos, cum
 communem tantum patrem habent, vel uteri-
 nos, cum eundem uterum, id est matrem habent,
 sed patrem diversum, d. *Novel. 118. c. 3, in pr.*
 Hac tamen moderatione adhibita, ut, si defun-
 cto fratres germani super sint, & alterius fratris,
 vel sororis, præmortuorum filii, hi unâ cum ex-
 istentibus fratribus, id est, patris & avunculis
 suis ad hereditatem admittantur; idque jure re-
 præsentationis in stirpes, subingrediendo scilicet
 in locum sui patris. Secundò, post fratres utri-
 usque conjunctos vocantur eorum filii, remo-
 tis etiam hoc casu fratribus ex altero tantum pa-
 rente conjunctis, d. c. 3, *in pr.* Tertio, si neque fra-
 tres, neque filios fratrum defunctus reliquerit
 ex utroque parente conjunctos, succedunt fra-
 tres ex altero tantum parentes conjuncti, & post
 hos cæteri à latere cognati; secundum tamen
 uniuscujusque ordinis prærogativam, videlicet
 ut vicinior gradu remotioribus præponantur.
 Ubi tamen plures ejusdem gradus reperiuntur,
 dividitur inter eos hereditas, secundum nume-
 rum personarum seu in capita, d. *cap. 3, § un.* Sub-
 lata in quacumque successione ab intestato dif-
 ferentiâ cognationis & agnationis; potestatis
 patriæ

patris, & emancipationis; masculini sexus sint, an feminini: solâ scilicet habitâ ratione sanguinis. c. 4. d. Nov. 218.

41 Cæterum hîc suboritur quæstio passim agitata apud Interpretes, An filii fratrum, nullo alio defuncti fratre superstite, succedant patruo suo in stirpes, an in capita? Ponamus Titium intestatò decessisse, relictis ex fratribus præmortuis, Mævio & Sempronio, sex filiis, ita ut duo ex Mævio, & quatuor ex Sempronio sint suscepti: quæstum est, utrum hi sex filii æqualiter seu in capita, an verò eodem modo quo pater eorum, si viveret, ad Titii hereditatem admittendi sint, seu in stirpes? Et quidem Glos. in d. c. 3. in pr. in verbis, fratres fuerint, cum plerisque aliis, existimat, eos admittendos esse in stirpes, Moventur textu in d. c. 3. §. un. quam & sententiam maximis conatibus adversus Zashum defendit Franc. Soubec, in Comment suo ad Vetus Feud. p. 9, n. 100, cum seq. Verum contraria Azonis sententia verior est, & juri magis conformis, quòd scilicet filii fratrum demortuorum, & ubi nullus alius frater superest, in patruu successione in capita, non in stirpes admittantur. Quod aperto textu comprobatur in d. cap. 3. vers. Hujusmodi verò privilegium, quo disertè inquit Justinianus, filios fratrum eo tantum casu in stirpes succedere patruo suo, quando existunt alii fratres defuncto conjuncti: unde inferitur, non existentibus aliis fratribus, ejusmodi filios in capita vocari, non verò in stirpes. Cum enim in transversalibus jus representationis locum non habeat, nisi in fratrum filiis cum superstitibus aliis fratribus concurrentibus, prout jam dictum est, rectè sequitur, omnes, qui aliter ex latere succedunt, ex persona sua, non verò parentum suorum succedere; & subsequenter, quot numero sunt transversales, totidem futuras esse hereditatis portiones, per text. in d. c. 3. in fine vers. si autem plurimi. Et l. Lege 14, §. un. C. De legit. hered. Et §. Si plures 5, Inst. de legit. agnat. success. Quam & sententiam Carolus V. secutus est, & viva constitutione confirmavit Spira anno 1529, die 23, mensis April. Ubi ergò patruu nequaquam superstites sunt, cæteri, sive illi filii sint eorum, sive alterius generis, singuli ex sua persona, & suo quodam jure, defuncto cognato succedunt; ita quòd nemini inferatur injuria, sive plures filii ex uno cognato, ex altero verò unus alter tantum existant, d. c. 3, §. un. Nov. 118.

42 Quæ certè exaudienda sunt de legitimorum transversalium inter se successione; etenim in

illegitimis, an scilicet hi aliis legitimis, vel è diverso, legitimi illegitimis, vel illegitimi transversales inter se ab intestato succedant, hîc breviter differendum est. Quare, quando legitimus vult succedere non legitimo, vel contrâ, tunc, si per solum patrem sibi invicem conjuncti sunt, nullahac specie inter eos est successio, conjunctumque tandem generis illegitimi sint ex damnato vel alio illegitimo concubitu, §. 4, Inst. De success. cognat. Et c. 12, §. 5, cum c. 15. Nov. 89. Palæot. d. tract. de Noth. Et sur. cap. 30. Verum, quòd attinet ad illegitimos per matrem conjunctos, certum est, mutam inter ipsos esse successione, sive uterque illegitimus sit, sive alter tantum, eo quòd sibi invicem cognati sint ratione matris, l. 2, Et l. 4, D. Unde cognati Prator omnibus cognatis bonorum possessionem pollicetur, sic. Inst. de success. cognat. Et d. 1. D. Unde cog. Vide omnino Nicol. de Ubald. De success. ab intest. parte 3, n. 8, Et Matthel in 2, membro tertii artic. De success. ab intest.

43 Porro, legitimâ successione deficiente, admittitur uxor ad successionem mariti sui intestati, & contrâ vir ad successionem uxoris suæ, l. un. D. Et C. Unde vir Et uxor, & post hos filius, l. 1, Et l. Vacantia 4, C. De bonis vacant. lit. 10, in Clericorum verè bona Ecclesia, excluso filio, per h. text. Et in c. 1.

44 Hic igitur successionis ordo non tantum observatur in bonis laicorum ab intestato descendentium, verum etiam in bonis Clericorum patrimonialibus; qualia sunt, quæ ex successione parentum, amicorum, sive alio titulo ad Clericos pervenerunt, dummodò non intuitu Ecclesiæ, sicut supra ad hoc c. 1, in princ. comprobavi; ubi præterea memini, Clericorum bona esse quadruplicia. Aut enim sunt patrimonialia, de quibus hætenus egimus; aut bona ipsius Ecclesiæ, quæ scilicet sustentandis ministris Ecclesiæ & divino cultui exercendo deputata sunt; aut bona ex redditibus, aliisque proventibus Ecclesiæ acquisita; aut denique quasi patrimonialia id est, in naturam quasi patrimonialium bonorum redacta; & de his tribus posterioribus generibus breviter dispiciamus.

45 Et quidem quòd ad bona ipsius Ecclesiæ attinet, expediti & certi juris est, ea ad defuncti Clerici heredes nequaquam pertinere aut devolvi, cum sint ipsius Ecclesiæ, non Clerici, can. 3, cum aliis seqq. x. l. 9. ideoque meritò extra hereditatem Clerici defuncti censentur; siquidem, auctore Cajo l. C. hereditas nihil aliud est, quam suc-

successio in universum jus, quod defunctus habuit, *l. Nihil aliud 34, v. De verb. sig.*

At verò de tertio genere bonorum major addubitatio est, an hæc ad defuncti Clerici heredes transmittantur. In quo illud præmittendum est, quòd, sicut Clerici rerum Ecclesiasticarum domini non sunt, sed potius procuratores sive administratores, *c. 2, sup. de donationib. & can. Quod autem 3, xii. q. 7.* ita nec eorumdem reddituum sive proventuum, cum de his testari non possint *c. Ad hac 8, cum c. seq. sup. De testam.* neque alias pro arbitrio suo de his disponere, sed quatenus ipsis permissum est à sacris Canonibus, videlicet in honestam sui sustentationem, in pauperum, & Ecclesiæ usum, *can. Episcopus 7, x. q. 2, & cau. fin. xvi q. 1, Tibi, 6 Sacerdos, inquit D. Hieron apud Gratian. nostr. in summa dist. 44, de altario vivere, non luxuriari, permittitur.* Ut hinc sanctissime cautum sit à Concilio Trid. *Sess. 25, c. 1, de reform. ne Cardinales; vel Episcopi, vel alii beneficia Ecclesiastica obrinentes, consanguineos, familiaresve tuos ex redditibus Ecclesiæ augere studeant: cum (inquit) & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis doneant; sed si pauperes sint, eis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant neque dissipent illorum causâ.* Ex quibus certè consequens est, quòd in his redditibus & proventibus Ecclesiasticis, & quæ ex iis comparata sunt, nullus succedere possit Clerico ab intestato decedenti, sed quòd ea ipsi Ecclesiæ remanere debeant, *c. Cum in officiis 7, & c. Relatum 12, sup. De testam. & 10101 sup. De pecul. Cleric. can. Episcopi 19, & cau. Sint manifesta 21, xii q. 1, sicut mox latius dicitur.* Item ex his liquet, an Clerici redditus sive proventus Ecclesiasticos suos faciant, de quo magna contentio est inter Mart. Navarr. & Franc. Sarmient in tract. De rediv. Ecclesiæ sicut apud eos videtur est; nec enim hic persequi lubet, cum etiam statuamus Clericos redditus Ecclesiasticos percipiendo suos facere, sicut videtur probare *text. in c. un. §. 1, De cler. non resid. lib. 6, & nonc. Trid. Sess. 24, c. 12, de reform.* id tamen cum conditionibus per sacros Canones annexis accipiendum sit; ut scilicet id, quod superest sustentationi Clericorum, expendatur in usum pauperum, divini cultus, & Ecclesiæ, & ab intestato reservetur ipsi Ecclesiæ, *per jura sup. allegata.*

48 Sed quæstionis est, An consuetudo hac in re contraria valeat, ut scilicet in redditibus Ecclesiasticis, & quæ ex iis comparata sunt, succedere

possint legitimi heredes Clerico ab intestato decedenti? Quod putat Did. Covarr. ad eò, ut & consuetudinem de iis testandi valere existimet, *in c. 7, n. 23, sup. De testam. cuius sententia ibidem & auctores citat, Holtien. Fab. alios; item textum in c. Chm tibi 18, inf. De verb. sig. & in c. 2, §. 1, De elect. in Extravag. Ioan. xx. ubi valere vult consuetudinem, ut fructus beneficii vacantis per aliquod tempus pertineant ad defunctum.* Verum ab his dissentit Mart. Navar. in *Comment. de spol. Cleric. §. 4,* improbens consuetudinem, quæ Clericorum spolia, id est, fructus & proventus Ecclesiastici, sive bona ex iis comparata cedunt heredibus Clerici, non habitâ ratione pietatis, sive paupertatis, sed potius convertuntur in profanos usus. Quæ sententia verior est, & satis comprobatur *per text. in c. Relatum 12 sup. De testam.* Licet autem mobilia, inquit tibi *text. per Ecclesiæ acquisita de Jure alios pro morientis arbitrio transferri non possint, consuetudinis tamen est non improbandæ, ut de his pauperibus, & religiosis locis, & illis, qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur.* Ut hinc non aliter consuetudinem valere constet, quàm juxta dispositionem *d. c. 12,* alioqui consuetudo irrationabilis esset, & adversaria Ecclesiæ utilitati, ac pauperum necessitati; atque idcirco meritò explodenda, *c. fin. junct. c. 1, sup. De consuet. Neque obstat text. in d. c. 18, inf. De verb. sig. quia eo loco nihil aliud statuit, quàm si cui ex privilegio §. Pontificis concessa sit ordinatio, id est, distributio bonorum à Clericis relictorum ab intestato, quòd sub nomine Clericorum etiam contineantur Canonici.* Et quòd attinet ad *d. c. 2, §. 1,* non magis probat sententiam Covarr. sed potius eam refellit, dum *text. ibid. consuetudinem percipiendi fructus primi anni post mortem Clerici abrogat, & restringit ad certam portionem: quod non fecisset S. Pont. si putasset valere hujusmodi consuetudinem.* Illud facile admisero, quod ex Zenzelino tradit idem Navarr. in *d. Comment. de spoliis Cleric. §. 15, in princ.* ubi vult valere consuetudinem, ut primi vel secundi anni fructus cedant in exsolutionem æris alieni per defunctum Clericum contracti, vel in ipsius funeralia, vel in pauperum usum; non verò in commodum secularium, ut eo ditiores fiant: dum tamen per hanc consuetudinem divinis officiis non detrahatur, *d. c. 2, §. 1.*

49 Sed disputationis est, cuiusnam relicta à Clerico ex Ecclesiæ redditibus, ac proventibus, applicari

estari debeant? Profectò, si intuemur Jus Decretalium, & antiquos Canones, ipsi Ecclesiæ, vel successori Clerico reservantur, *soto tit. sup. De pec. Cleric. c. 1. 7. & c. 12. sup. De testam. can. 1. & 3. in pr. xii. quæst. 3. Can. 1. in pr. ead. quæst. 4. can. 1. & 4. ead. quæst. 5.* Hoc modo, ut si Episcopus sit, vel Parochus, vel alius, singularem & certum successorem habens in officio, vel dignitate suâ, huic ea tantummodò addicantur: si non habeat, ut est Canonikus, collegio Canonikorum applicentur, *d. cap. 12. sup. De testam. c. 4. sup. De off. jud. ord. can. Hac huius placiti 38. can. De laicus 46. cum can. seq. xii. quæst. 2. & c. Quia sup. 46. De elect. eo temperamento adhibito, ut, si Clericus in diversis Ecclesiis beneficia possideat, dividi ea spolia debeant inter eandem Ecclesiâs juxta congruam æstimationem, d. c. 12. in fine. Vide. qua. habet Nic. de Wald. de success. ab intest. p. ult. num. 10. cum seqq. Et hæc, ut dictum est, secundùm jus Decretalium, quod in scholis profitemur, & antiquos Canones*

50 Cæterùm apud Mart. Navarr. *in d. Com. de spol. Cleric.* extant aliquot Extravagantes Summorum Pontificum, videlicet Pauli III. Julii III. Pauli IV. Pii IV. & Pii V. quibus Clericorum spolia, & ex illicita negotiatione quæ sita per Clericos, Sedi Apostolicæ & ejus Cameræ reservantur; exceptis bonis quasi patrimonialibus, de quibus paulò pòst separatim ageretur. Item, exceptis ornamentis Ecclesiæ, quæ ipsi Ecclesiæ remanent; & supellestilibus domesticis, licet ex rebus Ecclesiæ acquisitis, ut sunt scamna, mensæ, arcæ, dolia vacua, & similia, quæ iis in locis, ubi constitentur, relinquenda sunt. Item quæ à Clerico ex beneficiis vel pensionibus Ecclesiasticis, majorem redditum, quàm triginta ducatorum de camera non habente, relicta sunt; hæc enim spolio-

rum nomine non continentur, ex constitutione Pii V. ac proinde ad heredes Clerici defuncti transmittuntur: de quibus omninò idem videndus Navarr. *in d. Com. §. 8. ubi & §. 9.* pluribus argumentis probat, spolia Clericorum rectè reservari Sedi Apostolicæ.

Verùm cum in Germania nostra numquam, quantum memini, perfoluta sint spolia Clericorum Sedi Apostolicæ, dicemus prædictas Extravagantes usu receptas non esse: quod alioqui requiritur, antequam Constitutio nova obliget, *can. 2. cum can. seq. dist. 4.* aut certè Summum Pontificem expressè, vel tacitè, quomodo ipse sibi reservata quandoque inferioribus Ecclesiis communicat, ea reliquisse dispositioni Juris Decretalium, & antiquorum Canonum.

Postremò, quod attinet ad quasi patrimonialia bona Clericorum, qualia, ut supra in princ. huius cap. diximus, sunt ea, quæ separatim extra beneficii Ecclesiastici redditus ob certum aliquod officium Ecclesiasticum à Clericis percipiuntur, veluti ex celebratione Missæ, concionibus & confessionibus, & similibus actibus: ea etsi ab Innoc. IV. *ad c. Quia nos 9. sup. De testam. & ult. vol. exæquantur redditibus Ecclesiasticis, eò, ut videtur, quòd respectu ordinis clericalis, acquirantur; tamen rectius Navarr. in tract. De red. eccles. quæst. 1. cent. 19. æquiparat bonis patrimonialibus Clericorum; in quam sententiam citat Cynum, & alios Dd. Et ratio est, quia hæc tamquam merces laborum, & operum personalium, perfolvuntur à donatoribus, & non intuitu Ecclesiæ: at verò quæ respectu personæ acquiruntur à Clericis, propria eorum sunt, non Ecclesiæ; ac proinde de iis pro arbitrio possunt disponere, & ea transmittere ad suos heredes legitimos, *per text. in d. c. 9. sup. De testam.**

In Cap. ultimum.

HOc Cap. tribus verbis perstringam. Ex factò in eo proponitur de quodam Archipresbytero, qui se, suaque pietatis causa obulerat Monasterio: unde is in extremis agens, rogatus, ut conderet testamentum, respondit, se non posse testari, tamquam rerum suarum non amplius dominum, *Auth. ingressi C. De sacros. Eccles.* Hinc controversia orta est inter Episcopum, & Abbatem ejusdem Monasterii: Episcopo asserente, dictum Archipresbyterum, cum hanc suam voluntatem in extremis enuntiaret, phrenesi laborasse, & sic alienatâ mente fuisse; proinde non

valuisse ultimam illius voluntatem. Cui consequens putabat Episcopus, quòd is intestatus discessisset, *l. 2. §. 17. D. Qui testam. fac. poss. §. Item furiosi Inst. Quibus non est permis. fac. testam.* atque idcirco res omnes Archipresbyteri spectare ad eandem Ecclesiâ, nullo ex cognatis suis superstite; nam ut sup. *ad c. 1. in princ. meminimus.* Clerico ab intestato discedente, si nullus ei legitimus heres existat, bona ipsius devolvuntur ad eandem Ecclesiâ, *per text. in can. fin. XII. quæst. 5. can. Sine manifesta 21. XII. quæst. 1. & in cap. 13. vers. si quis autem Episcopus N. v. 131.* Hæc igitur causa,

Hh

cūm